

* Nititur profecto Fidei nostræ assensus argumentis subiective sufficientibus, atque per ipsum rationis practicæ *Interesse* fulcitur; ut adeo Protestantes illi, qui fidem Catholicorum omnimode *cæcam* esse temere effutiunt, turpem calumniæ notam nobis inurant.

XXVIII. Nec aliquas duntaxat veritates secundum *spiritus privati dictamen* recipere, sed *omnibus ac singulis* dogmatibus a DEO revelatis atque solenni Ecclesiæ oraculo propositis prompta voluntate assentiri, hanc mentis nostræ persuasionem data occasione exterius aperire, et apud alios explicare graviter obligamur. *

* In domo PATRIS DIVINI mansiones multæ sunt: non ergo dubitandum, quin a rudioribus, immo iis omnibus, ad quos Evangelii nuntius non pervenit, citra culpam plura ignorari possint.

XXIX. Ut vero tota intellectus religio etiam salutaris evadat, quam maxime requiritur, ut scutum fidei continuo arripere, in virtute isthac theologica, qua tela nequissimi ignea extinguere possimus, mox a rationis diluculo animam exercere, atque ex fide vivere laboremus.

XXX.